



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacrae Theologiae Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiae Ad Mentem Scoti Cursus Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Disputatio I. De Felicitate hominis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

TRACTATVS
DE SCIENTIA MORALI
SEV ETHICA.

SCIENTIAM moralem, seu doctrinam illam de actionibus moralibus, hoc est bonis & malis, quam Græco vocabulo Ethicam appellant, nemo est, qui non facile fateatur, maximæ esse utilitatis, iucunditatis ac dignitatis; quid enim homini, ad felicitatem consequendam nato, vtilius exco- gitari possit, quam in quo potissimum consistit, & quibus modis vel perdi possit, vel acquiri, cognoscere? quod si vlla prorsus scientia delectationem habeat annexam; vel huius sane maxima esse debet, quæ in rerum tam necessariorum contemplatione versatur; cumque felicitas sit hominis suprema dignitas ac vltimus finis ambigi nequit quin eo dignissimum sit eam sibi disciplinam comparare, sine qua nec ipsam esse suam dignitatem cognosceret, nec qua ratione adipiscenda sit. Quamvis autem, vt de aliarum scientiarum omnium, ita de ipsius obiecto non possent variæ inter se dissentien- tium sententiæ deesse, & quælibet non improbabilis pro se rationes adducere posset; tamen omiſſa illa magis curiosâ, quàm vtili disputatione, ego ipsam felicitatem naturalem, prout saltem à me tradetur, & optime, ni fallor, à quocumque tradi posset, ipsi pro adæ- quato obiecto statuendum arbitror, vt pote quæ de ea sine dubio agit, & de nullo alio, quod ad ipsam reduci non possit, aut quod potius pro tali assignari deberet. Quia vero si omnia, quæ ad hanc scientiam per se spe- ctant, proponenda essent, nimis longus esset tractatus, complecteretur enim maximam partem earum difficul- tatum, quæ in prima secundæ & secundæ secundæ par- tis Theologiæ, vt à Diuo Thoma tradita est, examinan- tur; & quia etiam in ipsa Theologia ab omnibus ex- plicari solent, principales tantum & generales examinabo quæstiones.

DISPUTATIO I.
DE FELICITATE HOMINIS.

Un, vt iam dixi, Felicitas secundum me huius scientiæ obiectum adæquatum sit, merito ab eius consideratione aspicio hunc Tractatum, & quia ipsa felicitas summum bonum hominis est, & vltimus finis, prius de natura boni & finis aliqua præmittenda videbantur.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit bonum?

Missis variis acceptionibus boni, secundum quas variè etiam describi posset, de eo vt ad hunc Tra- ctatum particulariter spectat agendum.

CONCLUSIO.

Bene describitur bonum esse id, quod habet in se per- fectiorem, ratione cuius inuitare possit potentiam appe- titum ad ipsum appetendum appetitum elicitum. Hac est in re ipsa communis, ac conformis definitioni à veteri- bus tradita, quam approbat Philosophus primo Ethicorum ad Nicomachum: Bonum est quod omnia appetunt, sed ni fallor clatior & minoribus exposita difficul- tatibus. Probatum quia ex communi acceptione omne tale dicitur bonum, & nihil dicitur bonum præsertim spectans ad scientiam moralem, quod non sit tale; nec alia ratione melius explicari potest.

Obiicies primo, Illa descriptio conuenit malis: ergo non est bona. Probatum antecedens, quia mala, vt mors, & peccatum, habent aliquid, ratione cuius inuitant ad appetitionem sui; alias nemo illa appeteret contra quo- tidianam experientiam.

Respondeo, distinguendo antecedens, quatenus mala sunt præcise, nego; Quatenus habent etiam aliquam rationem boni, concedo antecedens, & nego conse- quentiam, Respondeo etiam ad probationem antece- dentis eam distinguendo, quatenus mala, nego; quate- nus bona, concedo.

Itaque quando aliquis appetit mortem, considerat in ea rationem boni vtilis, quatenus deseruit ad libe- randum ipsum à malis aliquibus, quibus affligitur, vel ad vindicandum se de aliis, quibus mors illa displicere posset; aut rationem boni iucundi, aut honesti; & simi- liter peccantes considerant in peccato rationem boni delectabilis, aut vtilis, & ab illa ratione inuitantur ad ipsum appetendum.

Difficilius est altera obiectio, nempe quod ipsa vo- luntas, vt pote potentia libera, possit aliquid velle, in quo vel consideraret solam rationem mali; vel nec ma- li nec boni rationem vllam animaduerneret; quod si ita esset, corrumpere videretur proposita definitio, ac ipsa etiam veterum ac Aristotelis, quomodocumque soleat explicari. Quia vero maior huius discursus est in con- trouersia inferius per se examinanda, abstrahendo iam ab eius decisione.

Respondeo iam, si sit falsa, obiectionem eo ipso desi- cere; si vero sit vera, negando minorem, quia quamvis voluntas istiusmodi obiecta ex sua libertate appeteret, tamen illis sic consideratis non competeret definitio præmissa, nec consequenter censenda essent bona; aut corrumpere præmissa nostra definitio, quia non haberent in se perfectionem, ratione cuius appeterentur, nec in- uitarerent, aut mouerent voluntatem ex perfectione sua ad eorum appetitionem; sed tota ratio volendi esset ip- samet libertas voluntatis.

QVÆSTIO II.

An voluntas possit aliquid, quod non sit bonum, appetere, vel fugere à bono quia bonum.

Via in præmissa responsione abstraxi à difficulta- te maioris; antequam progrediar ulterius, eam hic examinabo.

Nominales cum Occano in tertia distinctione deci- ma tertia, dubio tertio, Gabriele secundo distinctione sexta, quæstione prima, Angelsto in moralibus capite se- cundo, tuerentur partem affirmatiuam; communior vero aliorum Authorum sententia amplectitur negatiuam.

CONCLUSIO. I.

Voluntas potest pro sua libertate à bono, considerato tantum vt bono, sine consideratione vllius generis, malitia, fugere, vel ipsum repudiare per positiuam nolitionem, & velle malum, quia malum, seu consideratum tantum, vt ma- lum, supposito quod omniſſio pura libera non sit possibilis. Hac est iuxta Nominales, quibus fauere videtur Scotus sal- tem probabiliter, in primo distinctione secunda quæst. 4. & in 2. dist. 43. quæst. vbi videtur esse dubius de hac re.

Probatum prima pars, quia aliàs volitio boni sic propo- siri esset necessaria, & non libera, nec laudabilis aut me- ritoria; sed absque necessitate non est asserendum quod voluntas, quæ est essentialiter potentia libera, habeat actum aliquem elicitum necessarium: nulla autè est ne- cessitas

Quomodo mala ap- petuntur.

Obiectum huius Tractatus.

Supposita impossibili- litate omiſ- sionis pu- ra volun- tas potest nolite bo- num & velle malum

Quid est bonum.

Cc 4 cessitas

cessitas asserendi quod circa bonum quodcumque, sub ratione tantum boni propositum, voluntas habeat actum necessarium. Confirmatur quia quoties non inuenitur aliqua ratio cogens ad oppositum, melius est & magis spectans ad dignitatem voluntatis, quod actus ipsius sint laudabiles ac meritorij, quam è contra; sed nulla est ratio cogens ad asserendum quod actus ipsius circa quodcumque bonum, propositum sub ratione boni, non sit laudabilis ac meritorius: ergo non debet asseri.

6. *Probatum secundo*, quia si circa bonum, verbi gratia, ut vnum, propositum sub illa tantum ratione boni, voluntas necessario ageret, ut sequeretur in opposita sententia, hoc maxime esset verum, quia ab illa ratione boni determinaretur, vel physice, vel moraliter: sed hoc dici nequit: ergo non necessario ageret circa ipsum. *Probatum maior primo*, quia nulla est ratio, ob quam id dicatur, ut constabit ex solutione obiectionum. *Probatum secundo*, quia non magis deberet determinari sic à tali bono; quam, propositis duobus bonis inæqualibus, à maiori: sed secundum communioem Auerfiorum sententiam non determinatur à tali bono. *Probatum maior*, quia excessus maioris boni supra minus habet tantam vim determinandi, quantam habet bonum ut vnum, ut sic solummodo propositum, & quia non est maior ratio de vno quam de altero. *Dixi autem*, si non datur omisso pura, quia si hæc daretur, non sequeretur hæc inconuenientia; neque enim voluntas necessitaretur ad volendum bonum, nec ab eo ad hoc determinaretur, aut physice, aut moraliter, & eum prosequendo laudabiliter ageret, si bonum esset honestum, ac mereretur. Ex his ipsis principiis sequitur secunda pars, de qua atque de prima est eadem prorsus ratio.

Non quæcumque fuga obiecti est odium ipsius.

Aduerto tamen fugam positivam seu nolitionem obiecti sine vlla consideratione mali, non esse odium eius, proprie loquendo, quia odium ex communi acceptione importat recessum ab obiecto ob quandam displicentiam ipsius, hæc autem fuga, ut patet, non est talis; & similiter volitio obiecti sine vlla consideratione boni, non esset amor, quia hic intelligitur esse actum circa obiectum ob perfectionem aliquam eius.

Obiicies primo, fundamentum quo ego usus sum disputatione de voluntate, quando non vult positivè aliquid, vel illud non vult propter se, vel propter aliud: sed neutrum dici potest, nisi consideretur in ipso malicia: ergo non potest positivè nolle, nisi propter maliciam. *Probatum minor*, quia eatenus propter aliud, quatenus consideraret in illo rationem aliquam impediens illud aliud, & hæc esset malicia; & eatenus propter se, quatenus consideraret in ipso rationem aliquam, ob quam noller ipsum propter se, & hæc etiam ratio est malitia, quia opponitur appetibilitati propter se.

Respondeo distinguendo maiorem pro prima parte; propter se, quatenus hoc significat quod non propter aliud, concedo maiorem; propter se, quatenus hoc significat, quod sit aliqua ratio in ipso mouens ad nolitionem; nego maiorem, sed potius ratio, ob quam non vult ipsum voluntas, est quia non est aliqua ratio determinans ipsam ad ipsum volendum. Nego autem minorem in sensu, in quo concessa est maior, & ad probationem, nego secundam partem, sed potius eatenus noller, quia ut iam dixi, non est ratio in ipso determinatiua voluntatis aut moraliter aut physice ad ipsum volendum.

Obiicies contra secundam partem auctoritatem Dionysij c. 4. de diuinis nominibus, nemo ad malum intendens operatur, sed hoc esset falsum, si vera esset secunda pars: ergo.

Respondeo negando minorem, quia de facto datur omisso libera & ea supposita de facto nemo prosequitur malum, sicut nec fugit positivè & directe bonum. Si autem non daretur omisso pura, Dionysius non proponeret præmissam suam doctrinam, ut colligitur ex fundamento conclusionis.

CONCLUSIO II.

8. *Satis probabile videtur quod voluntas possit velle & nolle quod non consideratur neque ut bonum, neque ut malum.* Hæc est etiam iuxta Nominales contra communioem sententiam.

Probatum tum à priori, quia non videtur vlla repugnantia in hoc quod voluntas habeat huiusmodi libertatem; tum à posteriori experientia, quia constat voluntatem sæpe imperare motum manus ac pedis, ac ipsum nolle, quando non advertimus illum proponi ut bonum, nec ut malum; nec possumus assignare rationem vllam ex parte obiecti, ob quam aut illum imperamus, aut ab eo desistamus: *Si dicatur* autem, ut ego dixi, disputatione de voluntate esse propositam tum rationem aliquam boni, licet non advertatur, nec assignari possit. *Contra* quia si non advertatur, nec possit assignari, gratis omnino dicitur quod sit.

Obiicies ex Conimbricensibus hic. q. 2. a. 2. bonum esse obiectum appetitus: ergo nequit appetere nisi bonum.

Respondeo si loquantur de obiecto adæquato, negando antecedens, in quo manifeste petitur principium; si vero de inadæquato, nego consequentiam: concessio antecedente.

9. *Obiicies secundo*, ex iisdem: quod maius obiectum est, bonum, eo magis allicit ad sui amorem: ergo bonum est quod allicit. *Respondeo* concedendo totum; sed inde nihil habetur ad propositum, quamvis enim dicamus voluntatem posse velle, quod non proponitur ut bonum; non dicimus tale quid allicere voluntatem, sed eam ex sua libertate illud velle absque aliqua motione ipsius.

Obiicies tertio fundamentum meum loco citato, vel vellet illud propter se tanquam finem, vel propter aliud, tanquam medium: neutrum dici potest, non propter aliud tanquam medium, quia sic deberet considerare in ipso conducentiam ad alia & hæc esset aliqua bonitas: non propter se tanquam finem: quia sic deberet considerari in ipso ratio, ob quam moueret intentionaliter voluntatem, quæ ratio esset bonitas aliqua.

Respondendo distinguendo primam partem maioris propter se, id est non propter aliud, concedo maiorem; propter se, id est propter aliquam rationem ipsius, quæ ex citaret aut moueret voluntatem, nego: sed potior ratio, cur prosequitur, est, quia ex libertate sua id vult, nec proponitur in ipso ratio aliqua auertens voluntatem à prosecutione ipsius.

10. *Dices* non esse rationem auertentem voluntatem in obiecto illo esse bonitatem quandam.

Respondeo hoc distinguendo: esse bonitatem quandam positivam, nego: negativam, concedo; sed illa non facit ad propositum.

Obiicies quarto, aliud meum fundamentum ibidem sicut appetitus innatus est pondus in bonum: ita dicendum de appetitu elicito: ergo nequit versari nisi circa bonum.

Respondeo negando antecedens quia per appetitum innatum intelligitur talis propensio: per appetitum elicito vero, intelligimus volitionem quamcumque, quæ possit haberi, quodcumque demum sit eius obiectum: quod autem appetitus elicito dicatur ferri in bonum sicut innatus, hoc dependet ab illa sententia, quæ dicit volitionem omnem ferri in bonum, quod negatur in conclusione: unde in hac obiectione, te bene considerata, videri possit peti principium.

CONCLUSIO. III.

11. *Supposita omissione pura voluntas nequit prosequi si datur malum ut sic tantum consideratum, nec fugere positivè bonum.* Hæc est conformis doctore in 3. dist. 33. num. 3. & in 4. dist. 49. q. 10. n. 8. & est communissima contra Nominales.

Probatum auctoritate Dionysij præmissa: nemo ad malum intendens operatur, quæ ad minus hanc conclusionem probat. Difficilius est eam probare ratione. Quæ mihi autem unica, in qua non petitur principium, occurrat.

Voluntas potest velle quod non consideratur, & nolle quod non appetit malum.

omissio pura voluntas nequit prosequi si datur malum ut sic tantum consideratum, nec fugere positivè bonum.

rit, est; quandoquidem in bono quocumque, quatenus tale est, sit vis quædam inclinativa voluntatis ad ipsum; & in malo vis auersiva, esse omnino verisimile & conforme experientia; quod nunquam voluntas fugiat bonum, quia tales præcise; nec prosequatur malum; unde ad hoc videtur quodammodo determinari; præsertim cum in hoc nulla sit inconuenientia. Quia vero non determinatur ad bonum ita, quin possit ipsum omittere, existimo quod determinatio illa voluntatis ad non prosequendum malum, & non fugiendum positivè bonum sit determinatio moralis solummodo, cum qua stat quod physicè possit prosequi malum, & fugere bonum, quia in huiusmodi potentia Physica non est vlla repugnantia aut inconuenientia, unde conclusionem intelligo de potentia morali non de physica & sic intellecta forte non est contra Nominales, sed videtur esse contra communem sententiam. Hic est ergo sensus meus de hac re, non obstantibus iis, quæ proposui disputatione decima tertia citata quæstione prima, quæ tamen non placuit mutare, quia, ni fallor, vix potest melius probari communior sententia, quam credo plures amplexuros, quàm hanc minus communem.

QVÆSTIO III.

De diuisione Boni ut sit, in Honestum, Iucundum, Vtile.

12. **O**missis varijs diuisionibus, quibus bonum ut sit diuidi posset, ut in bona diuina & humana; externa & interna; animi, corporis, & fortunæ; spiritualia, corporalia; æterna, temporaria, & similia, quorum membrorum diuidentium capere significationem non est difficile, vnicam hanc ab Aristotele secundo Ethicorum capite tertio, Ambrosio de Officiis capite nono, Cicerone quinto Tusculan. traditam, quæ per se ad scientiam moralem magis spectat, examinare placuit.

CONCLUSIO I.

Hæc diuisio est bona. Ita omnes, & patet quia est per satis pauca membra adæquata diuisio, ac inter se saltem formaliter opposita, potestque reduci facile ad bimembrem diuisionem, ut si diuideretur primo bonum in illud, quod est propter se appetibile & propter aliud; & deinde illud, quod propter se esset appetibile, diuideretur in honestum & iucundum: ergo diuisio est bona, quia nihil aliud deest huic diuisioni ex omnibus quæ ad bonam requiruntur. Quod autem diuisio sit adæquata patet, quia reuera dantur illa tria genera bonorum, & nullum aliud bonum in sensu, quo supra explicauimus bonum, & quo consequenter hic diuiditur, assignari potest, quod non sit aliquod ex illis. Quod etiam illa tria genera sint opposita, patet, quia bonum vtile, hoc est conducent ad aliud bonum acquirendum distinguitur ab honesto & delectabili, posset enim esse inhonestum ac indelectabile, ut si quis vellet pati mortem ut vendicaret se de Parentibus, de quibus sic se vindicare non deberet. Deinde bonum delectabile distinguitur ab honesto, nam potest actio delectabilis esse inhonesta ut comestio illicita.

Dixi autem: saltem formaliter, quia non est necesse ut realiter semper distinguantur hæ rationes boni, nam vnum & idem potest esse honestum, vtile & delectabile secundum diuersas considerationes: moderata enim comestio cibi grati potest esse utilis, ut conducit ad sanitatem tuendam vel recuperandam; delectabilis sensui ob cibi suauitatem, & honesta quando præscriberetur à Deo vel superiore, & credo sane nullum esse bonum quod non habeat diuersas rationes, ob quas omnium horum bonorum sortitur naturam.

13. *Ut vero melius hæc diuisio intelligatur explicanda sunt membra diuidentia, & quidem bonum vtile & delectabile facile intelliguntur, nam vtile est, ut ante dixi, quod est conducent ad consecutionem alterius boni, ut sunt omnia media respectu finis. Delectabile est quod delectationem causat, Sed difficultas*

est in bono honesto declarando quod sane longe difficilior est, quàm videri posset; sed quia in commentarijs meis ad distinctionem 40. secundi de hac re fuisse egi, reiectis quam plurimis dicendi modis, hic breuiter quid dicendum sit aperiam. Itaque bonum honestum est illud, quod habet in se talem naturam, ut eius prosecutio deceat naturam rationalem, seu sit ea dignum ipsum prosequi. Quæ descriptio inde probatur quod certum sit dari huiusmodi bona, talia enim sunt colere Deum, amare parentes, subleuare miseras pauperum, & obiecta denique omnium virtutum; & quod per hanc rationem secernatur à bono vtili & delectabili, quia non est vlla dignitas in prosecutione boni vtilis, nisi quatenus est dignitas in prosecutione finis, ad cuius consecutionem conducit; nec est dignitas vlla in prosecutione boni delectabilis, quia tale præcise; cum enim ad talia bona sit maxima propensio in natura, non æstimatur esse dignitas aliqua particularis in natura quod ipsum prosequatur, ut colligi potest à posteriori ex eo, quod non laudemus nec dignos præmio aliquo putemus qui delectabilia, quia talia præcise consecutantur.

Quod si non daretur actus indifferens ex natura rei, independenter ab opinione probabili, facile declararetur bonum honestum, dicendo quod sit bonum propter se simpliciter appetibile, consideratis omnibus circumstantiis; nam hæc descriptio non conuenit bono delectabili, quia tale præcise: posset enim bonum delectabile esse prohibitum, & tunc non esset simpliciter appetibile.

Dixi autem si non daretur actus indifferens, quia eo dato videri posset hæc descriptio non esse bona, nam conueniret obiecto actus indifferentis, & tamen non esset bonum bonitate honesta, quia alijs actus non esset indifferens.

Dices si daretur actus indifferens, non valeret prior descriptio, quia obiectum actus indifferentis debet esse bonum delectabile, nulla affectum circumstantia mala sed prosecutio talis videtur dignum natura rationalis; ergo esset honestam & sic actus non esset indifferens.

Respondet negando minorem, quia, ut dictum est, in prosecutione boni delectabilis præcise non apparet aliqua dignitas aut excellentia.

14. *Possit etiam alio modo describi bonum honestum esse illud, quod propter suam perfectionem dignum est prosecutione, etiam si non esset nec vtile nec delectabile.* Quæ etiam descriptio simili discursu probari potest; quia dantur huiusmodi bona; talia enim sunt quæ supra specificaui, & per hoc, ut manifestum est, distinguuntur à bonis vtilibus & delectabilibus. Omisi data opera impugnare discursum, quo probat D. Thom. 1. p. q. 5. a. 6. & ex ipso Conimbricenses hic sufficientiam diuisionis boni in hæc tria membra, tum quia parum refert quid quis in particulari sentiat, modo declaratur ipsa rei veritas; tum quia nemo est qui non facile videat quod nullam habeat apparentiam.

QVÆSTIO IV.

An finis coincidat cum bono & an homo habeat alium finem vltimum.

Loquor de fine & bono appetitus rationalis mouente ex sua perfectione ipsum appetitum: nam illa præcipue faciunt ad propositum, & ex ijs, quæ de his dicentur, facile est de reliquis differere.

CONCLUSIO.

15. *Bonum vtile, quia tale, non conuenit cum fine, bene rationem bonum delectabile & honestum.* Hæc bene intellecta nequit esse in controuersia.

Probat prima pars quia finis est propter se appetibilis, sed bonum vtile, quia tale, non est sic appetibile: ergo non conuenit, quia tale est, cum fine.

Bonum vtile non conuenit cum fine bene rationem delectabile & honestum.

Proba

Bene diuiditur bonum in honestum, iucundum & vtile.

Probatur secunda pars quia bonum vtrumque est propter se appetibile: ergo coincidit cum fine quantum ad hoc, qui est sensus conclusionis, quod nihil sit finis quod non sit bonum, aut honestum, aut delectabile, & ut sic etiam propositum, quando proponitur finis; & quod nullum sit delectabile bonum aut honestum, quod ut sic non possit mouere, tanquam finis appetitum.

CONCLUSIO II.

16. *Homo habet aliquem finem ultimum, & consequenter aliquod bonum in qualibet actione sua libera; si tamen nihil possit velle nisi bonum.* Hæc est communis cum Scoto 1. dist. 2. quaestione prima, & D. Thoma 1. 2. quaest. 1.

Probatur autem quia in finibus intentis ab homine, non potest dari processus in infinitum; quia alias deberet cognoscere simul infinita; & quia experientia constat quod semper sistamus in aliquo: ergo debet dari aliquis finis, qui ulterius ad alium non ordinatur; ille autem est ultimus. Dixi in conclusione: *Si tamen nihil possit velle nisi bonum*, quia si posset velle aliquid, quod non esset bonum, quamuis propter rationem conclusionis adhuc deberet habere aliquem finem ultimum semper, non tamen aliquod bonum.

CONCLUSIO III.

17. *Non solius est hominis aut creatura rationalis agere propter finem ex intentione etiam finis; sed etiam bruta sic agunt.* Hæc est contra communio rem sententiam & supponit quod homo & creatura quæcumque rationalis sic agat, id quod de homine certum est experientia; & de cæteris creaturis rationalibus, ut de Angelis constat vel à pari, vel à fortiori; unde tota difficultas est, an Bruta sic agant.

Probatur, ergo quoad hoc; quia experientia constat, quod appareat externe ea sic agere; nam feles dum se erigunt in pedes, & extrahunt vestes comedentium & alia similia faciunt, quibus inuitentur homines ad proiciendum ipsis buccellam aliquam, omnino videntur id facere in ordine ad illum finem, quem & cognoscunt cognitione sensitiva, & appetunt appetitu sensitivo; & certe simia, dum ad extrahendum cibum in ignem proiectum, felis inuiti vtuntur pedibus, ne proprias manus comburant, videntur eo tanquam aptiori sibi modo uti. Denique, ut plurima alia exempla omittam, formicæ, dum in æstate pro hieme prouident, & aues, dum nidificant opportuno loco & modo, huiusmodi intentionem satis manifestè præ se ferunt. Dicere autem quod hoc fiat tantum materialiter, & non ex intentione formali finis aut medij, omnino gratis dicitur; & quamuis aliqui conentur ostendere quomodo hæc fiant absque intentione formali finis aut medij; tamen nec plene inquam satisfaciunt; & cum ex aliis principiis non constet, quod non fiant ex tali intentione, frustra laborant, negando eam perfectionem animantibus.

18. *Obiicies:* Agere propter finem ex intentione formali ipsius, est dirigere se ad illum: sed hoc est proprium istius naturæ, quæ delectu & arbitratu suo agit, quod proprium est naturæ tantum intellectualis; ergo sola talis agit sic propter finem.

Respondeo, distinguendo minorem: si per arbitratum intelligatur liberum arbitrium, negando minorem; si aliquid aliud, concedo minorem pro illa parte, & nego ipsam pro altera, simul cum consequentia, quia sufficit ut dicatur delectu suo agere ac arbitratu, modo per hoc non intelligatur liberum arbitrium, quod appetat finem & cognoscat illum posse acquiri tali modo ac propterea appetat talem modum.

Obiicies secundo, Ut appetere finem ac ordinare media ad ipsum (ut supponitur in probatione conclusionis quod faciunt) deberent cognoscere finem & media formaliter: sed non possunt illa sic cognoscere: ergo

non appetunt finem, nec ordinant media ad ipsum & consequenter conclusio est falsa. Probatur minor: quia finis formaliter dicit ordinem ad media, & hæc ad illud, qui ordo est relatio vel respectus: sed nulla potentia præter intellectiuam potest cognoscere relationem aut respectum: ergo Bruta non possunt cognoscere finem aut media formaliter.

Respondeo, negando minorem, & ad eius probationem dico, si finis & media formaliter dicunt respectum, potentiam sensitivam cognoscere respectus. Fortassis tamen finis & medium, ut debent cognosci ab Agente propter finem, non dicunt nisi respectum secundum dici, qualis facile potest cognosci à Brutis.

CONCLUSIO IV.

19. *Homo non appetit semper in omni actu suo finem ultimum eundem, nec materialiter nec formaliter.* Hæc est iuxta Doctorem supra & suos contra Capreolum prima distinctione prima quaestione tertia, & Caietanum prima secundæ quaestione prima articulo sexto. Ut intelligatur autem, advertendum est appetere eundem finem materialiter semper, secundum aduersarios, qui hos terminos videntur excogitasse, ut melius suam sententiam defenderent, esse semper appetere eandem rem numero aut specie, in qua esset ratio aliqua, ob quam appetere deberet in omni actione libera creaturæ rationalis, ut si quis semper appeteret Deum, aut honores, aut diuitias, aut voluptatem sensibilem; & quia certum est quod hoc modo non appetat homo pro hoc statu eandem rem, cum conitet quod aliquando appetat honores, aliquando diuitias, aliquando Deum, aliquando honestatem liberalitatis, aliquando misericordiam, in ipsismet sistendo, sic, ut nec cogiter quidem de alio ulteriori bono aut fine, ad quem hæc bona, tanquam media ordinaret, propterea concedunt, & bene, non semper nos appetere in omnibus actionibus nostris liberis eundem finem materialiter, & hæc ipsa sit probatio primæ partis conclusionis, quæ non est in controversia. Appetere vero semper eundem finem formaliter est appetere quidquid appetimus sub eadem ratione formali, hoc est sub ratione summi boni ac perfecte satiatiui, & in hoc sensu probatur conclusio quoad partem controuersam; quia quando aliquis infirmus considerat sanitatem, quamuis cognosceret quod non satiaret ipsum perfectè, sed imperfectè quoad ablationem infirmitatis, certe posset ipsam propter se appetere, & experientia constat quod ita appetat; & idem est de liberaliter erogante sua bona, & misericorditer subleuante miseriam indigentis, & appetente gustum hic & nunc ex cibo & potu; & proflus contra manifestam experientiam est, quod quoties quis operatur libere, occurrat ipsi consideratio boni summi & perfecte satiatiui; & quando occurrit etiam, manifestum est quod ipsum non appetit appetitu efficaci ex quo moueatur ad applicationem mediorum proportionatorum ad eius consecutionem: nam peccantes, qui considerant Deum esse ultimum finem, dum peccant, non sic appetunt ipsum, cum tum exerceant operationes impediennes eius consecutionem.

20. *Obiicies primò* quidquid appetit homo, vel appetit ipsum sub ratione boni perfecti aut imperfecti, si sub ratione perfecti, habetur intentum, quia hoc est appetere ipsum sub ratione summi boni, & perfecte satiatiui; si sub ratione imperfecti, ergo appetitur in ordine ad perfectum, quia imperfectum est inchoatio perfecti, & inchoatio semper ordinatur ad perfectionem ipsius, & sic etiam habetur intentum.

Respondeo, negando quod quando appetitur bonum imperfectum, ordinetur ab appetente ad perfectum, & quamuis ex se esset inchoatio perfecti & consequenter ex se ordinaretur ad ipsum, tamen non est necesse quod voluntas ordinet ipsum ad illud perfectius, nec etiam est necesse ut consideretur ab intellectu ut

Homo ad appetit semper in actione sua eundem finem.

Quid appetere eundem finem semper materia litera.

Quid formaliter.

quid sic ordinabile, & certe in peccantibus manifestum est quod considerent operationem peccaminosam non esse ordinabilem ad Deum, quem sciunt aut credunt esse suum summum bonum & omnium aliorum perfectissimum.

Obijcies secundo, causæ secundæ non possunt aliquid efficere absque concursu & motione causæ primæ: ergo nec fines particulares, subordinati ex se causæ finali ultimæ seu bono perfectissimo, possunt mouere absque motione finis ultimi.

21. *Respondeo*, negando consequentiam, quia sunt principia, ex quibus colligitur dependentia à motione seu concursu causæ primæ, & non sunt principia suadentia oppositum; secus autem est de motione finis ultimi, respectu motionum finium particularium. Et si proportio esset talis utrobique quantum ad hoc, sequeretur quod non possit quis moueri per fines particulares, absque motione finis ultimi non solum formaliter sed materialiter, & quod etiam quando operatur quis peccaminose, moueretur tum etiam finaliter à Deo ad illam operationem, quod sine dubio falsum est.

Obijcies tertio, finis ultimus est, qui perfecte satisfiat: ergo in omni actione quis appetit illum vel materialiter, vel formaliter. Probatur consequentia, quia nihil appetit nisi per modum satiatiui aliquo modo: sed quidquid appetitur per modum satiatiui, vel appetitur ut satiatiuum perfecte, & sic appetitur finis ultimus, de quo agimus; vel ut satiatiuum imperfecte, & sic appetitur ut participatio finis ultimi perfecte satiatiui, & consequenter appetitur tum finis ultimus satiatiuus, saltem formaliter.

Confirmatur, quidquid vlllo modo satisfiat, est participatio illius quod satiare potest summe: ergo quando appetitur aliquid vlllo modo satians, appetitur illud quod summe satisfiat.

22. *Respondeo*, negando consequentiam ad cuius probationem nego quod, quando aliquid appetitur ut perfecte satiatiuum, appetatur ut participatio illius, quod perfecte satisfiat, quia quamuis esset talis participatio, tamen ut sic non deberet necessario appeti, quia posset fieri quod non conciperetur tum aliquid perfecte satiatiuum, & quamuis etiam conciperetur, & imperfecte satians conciperetur ut pars ipsius aut participatio, non tamen sequeretur quod tum ipsummet appeteretur in sensu, in quo hic agitur de appetitu ipsius, qui est quod ipsum secundum se totum non debeat appeti. Per quod patet ad confirmationem, cuius consequentia est neganda.

Et certe quando aliquis appetit partem mundi, non propterea potest dici quod ipsum mundum appetat; & quando aliquis appetit aliquam creaturam, non eo ipso debet dici appetere Deum, cuius est participatio, in sensu vlllo commodo faciente ad rem.

QVÆSTIO V.

An habeat homo vnum finem perfectum ultimum?

Per finem perfectum ultimum, intelligitur finis seu bonum aliquod perfecte satiatiuum, quem si acquireret homo, deberet rationabiliter in eo sistere, ac esse contentus.

CONCLUSIO I.

23. *Non potest homo appetere duos huiusmodi fines coniunctiue, nec consequenter habet duos fines tales coniunctiue acquisibiles.* Hæc est communis cum D. Thom. 1. 2. quæst. 1. art. 5. &

Probatur prima pars, quia secundus finis ex illis esset perfecte satiatiuus, & non esset, quod implicat. Probatur sequela, quia imprimis esset perfecte satiatiuus, ut supponitur; non esset etiam, quia si posset homo simul satiari ab altero fine, ille non esset perfecte satiatiuus ipsius.

Probatur secunda pars, quia non potest habere pro

fine, nisi quod potest appetere & habere; aut enim ille finis esset à natura ipsi ordinatus, aut à Deo: sed neutrum dici potest, quia nec natura, nec Deus ordinavit pro fine alicuius illud, quod est simpliciter impossibile.

CONCLUSIO II.

24. *Possit huiusmodi duos fines appetere disiunctiue se proponerentur ipsi.* Hæc est contra Suarezium 1. 2. disp. 3. l. 3.

Probatur quia si proponeretur alicui, quod actus aliquis perfectus liberalitatis esset perfectissime satiatiuus ipsius, & etiam actus charitatis, non ita ut vterque simul posset perfecte satiare; sed ut quicumque ex ipsis seorsim satiaret ipsum perfecte, & vterius proponeretur quod medium optimum ad assequendum vel vnum vel alterum esset observatio præceptorum, posset sine dubio efficaciter appetere alterum ex illis disiunctiue, & in ordine ad alterum ex illis assequendum conari observare præcepta, cum in hoc nulla sit difficultas, & sit omnino conforme experientiæ, qua constat quod posset quis, & de facto aliquando appetat duos fines particulares disiunctiue, ut cum quis militat vel propter lucrum vel propter honorem ita, ut expectet non vtrumque simul, sed vel vnum, vel alterum. Fateor quidem quod, quando media diuersa essent applicanda ad illos fines, ut, verbi gratia, studium continuuum ad vnum, & alia occupationes ad alterum, tum volitio disiunctiua finium non esset sufficiens ad determinandum hominem ad electionem mediorum, quia non posset viraque eligere, nec esset maior ratio, cur hæc potius eligeret ob illam intentionem, quam illa: unde aliunde determinari deberet, quod recte aduertit Suarez, sed male putauit ad fines diuersos media diuersa applicari debere & propterea persuasus est ad tenendum oppositum conclusionis, nam certum est posse quem proponere laboranti in vinea sua vel lucrum pecuniarium vel dignitatem aliquam disiunctiue pro præmio, & in eo casu eundem laborem esse medium ad vtrumque illum finem disiunctiue.

CONCLUSIO III.

25. *De facto homo non habet duos fines perfecte satiatiuos disiunctiue in quorum quolibet posset homo rationabiliter sistere.*

Probatur quia non possunt assignari tales fines & confirmabitur per dicenda.

Nō habet homo duos fines perfecte satiatiuos etiam disiunctiue.

QVÆSTIO VI.

An detur & in qua consistat finis ultimus perfecte satiatiuus hominis, seu suprema felicitas ipsius.

26. **S**upposito quod non sint plures fines ultimi perfecte satiatiui hominis, nec disiunctiue, nec coniunctiue appetibiles, hic examinandum, an detur vnus talis, & in quo consistat, & quia reuera talis finis est summum bonum hominis, quod præcipue appetere debere, & quia vterius in huiusmodi summo bono consistit maxima ipsius felicitas, & illa præsertim, quæ est obiectum principale totius huius tractatus, quæque definitur à Boetio tertio de consolatioue profusa secunda, Status omnium bonorum aggregatione perfectus, & à Tullio 3. Tusculanarum qq. 2. Secretis malis omnibus cumlata bonorum omnium complexio: de qua felicitate ducentas octoginta octo enumerat Varro, teste Augustino decima nona Ciuit. cap. primo dissentientium inter se Philosophorum sententias, idem prorsus est querere de fine ultimo in hoc sensu, & de summo bono ac felicitate hominis; operæ pretii autem erit prius examinare, an possit ratione naturali colligi, quod detur huiusmodi finis ultimus, aut summum bonum, ac felicitas. Ut vero tollatur quæstio de nomine

Nō habet homo duos fines ultimos coniunctiue appetibiles.

Quid festi-
citas.

mine & res ipsa melius intelligatur, aduertendum sum-
mum bonum ac felicitatem posse capi & in sensu iam
explicato à Boetio & Tullio, & in alio sensu, quo per
ipsum significatur supremum bonum, quod posset ho-
mo acquirere, siue habeat secum aliqua mala annexa,
ex quo fieret; vt non perfecte omnino satiare, siue
non.

CONCLUSIO I.

Nō habet 27. *Non habet homo vllum finem vltimum aut summum bo-
num ac felicitatē perfecte satiatum iuxta definitionem Boetij
& Tullij pro hoc statu acquisibilem.* Patet meo iudicio
quia non potest hic acquiri securitas vlla contra mul-
ta mala, quæ facile occurrere possunt, & solent sepiissi-
me; neque enim possunt vlla ratione sic caueri infirmi-
tates & mala fortuita ex mille capitibus imminencia,
vt possit cum vlla probabilitate vllas affirmare se ab
ipsis immunem, vt manifestum est, sed hoc modo expo-
ni talibus malis est magnum malum, & securitas ab ip-
sis esset magnum bonum: ergo nequit quis pro hoc
statu acquirere summum bonum aut felicitatem, vt
describitur à Boetio aut Tullio,

CONCLUSIO II.

Non po- 28. *Non potest quis ratione naturali, seclusa fide, certo
test quis cognoscere quod pro vilo statu talis felicitas sit proposita ho-
seclusa fi- minibus, aut omnibus, aut vllis; supponendo tamen cognitio-
de certo minibus, aut omnibus, aut vllis; supponendo tamen cognitio-
cognosce- nem Dei & immortalitatem animæ, potest quis probabili-
re quod ter conicere quod pro statu futuro sit homo, hic recte ex
sit talis fi- virtute viuens, consecutus felicitatem iuxta illas descri-
nis pro- ptione bene intellectas.*
positus homini.

Probatur prima pars, primo quia, vt dixi dis-
put. de Ani- ma. num. 32. non potest certo cognoscere quod anima
sit immortalis, ergo non potest cognoscere quod post
separationem à corpore habeat securitatem de conse-
uatione quorumvis bonorum sibi collatorum.

Probatur secundo, quia quamuis cognosceret immor-
talitatem animæ, nulla sunt principia certo concluden-
tia quod non habebit vicissitudinem aliquam in bonis
& malis aliquibus, sibi inuicem succedentibus; &
quamuis hominibus recte & iuste viuentibus, debere-
tur aliquod præmium, in altera vita conferendum, cum
non persoluatur in hac; tamen quod illud deberet esse
perpetuum, & nulla infelicitate interrumpendū,
omnino incertū est quantum ad rationem naturalem.

Probatur tertio, quia quamuis essent talia principia de
animæ felicitate, non tamen sufficerent ad id proban-
dum de homine, quia non posset propterea probari re-
surrectio corporis cum certitudine.

Probatur secunda pars, quia ex suppositione Dei &
talis immortalitatis est sine dubio possibilis talis feli-
citas hominis; ex hoc autem, & ex inclinatione homi-
nis ad illam ac bonitatem Dei, ac propensionis ipsius ad
communicationem suorum bonorum, satis probabili-
ter potest conici quod sit talis felicitas consequenda,
& ex hac ipsa opinione prudentissime disponderet se
omni, quo posset, meliori modo in hac vita ad eius
consecutionem; & hinc quia deberet rationabiliter iu-
dicare quod potius conferri deberet ex virtute & ra-
tione degentibus suam vitam, quam vitiōse viuentibus
aut otiose, quamuis aliud lumen non haberet, deberet
virtutibus præcipuam operam dare.

*Hinc sequitur si Philosophi agentes de felicitate hu-
ius status ceperint eam in hoc sensu, non esse mirum
quod non potuerint inter se conuenire, nec ad veram
peruenire, quæ nulla erat; admiratione tamen dignum
est quod non aduerterint talem non dari; vnde cum ex
illis nonnulli doctissimi essent & maximo ingenio præ-
diti, existimarem potius eos in alia aliqua acceptione
beatitudinem sumpsisse, vt in secunda forte supra pro-
posita, de qua paulo post.*

CONCLUSIO. III.

29. *Habet homo finem vltimum vnum secundum defini-
tionem Boetij pro altera vita acquisibilem.* Hæc est certa
ex fide, quæ præponit nobis resurrectionem mortuo-
rum, & vitam æternam quæ est huiusmodi felicitas
& summum bonum, de cuius natura & conditione,
quia non constat perfecte nisi ex principiis Fidei &
Theologicis, in Theologia per se agitur, quod eius pro-
bationem vltiorem ac cetera ad ipsam spectantia re-
linquo, & hic adiungam quod sentio de felicitate in
hac vita acquisibili, pro quo præmitto, cum, vt antea
docui, non sit vlla talis secundum definitionem Boetij,
si quæ sit, eam debere esse in aliqua alia acceptione, quæ
si statueretur concorditer ab omnibus, facile conueni-
retur in ea assignanda ac probanda. Vt ergo hoc fiat
notandum bona huius vitæ tam interna, quam externa
considerari posse vel quatenus ordinantur ad vitam
æternam quæ vera est felicitas; vel secundum se &
abstrahendo à vitæ æternæ, sicut considerari deberent,
si non daretur, aut non cognosceretur talis vitæ & hoc
potissimum modo considerantur à Philosophis.

Rursus noto, si bona hæc considerentur priori mo-
do; posse capi felicitatem huius vitæ pro principiis
efficacibus ad consecutionem vitæ æternæ, itavt qui
habeat talia dici debeat beatus; & sic quicumque ha-
bens Fidem, Spem & Charitatem, etiam si omnibus aliis
malis afficeretur posset dici beatus, & qui iis careret
miseriæ oppositâ huiusmodi felicitati, etiam si
abundaret reliquis bonis. Posset etiam per beatitudi-
nem intelligi aliquod adiutorium magnum in ordine
ad consecutionem vitæ æternæ, & sic sæpe in scriptura
habetur vsus huius vocabuli, dum dicitur: *Beatus vir
qui timet Dominum. Beatus vir qui suffert tentationem,*
&c.

Rursus posset capi beatitudo & quidem à fortiori
pro perseverantia vique in finem in gratia; nam longe
melius est in ordine ad consecutionem beatitudinis
habere hoc donum, quam cetera omnia sine ipso, se-
cundum autem hæc potest discursi de variis aliis ac-
ceptionibus beatitudinis & gradibus diuersis eius, se-
cundum quos possunt assignari alijs alijs beatiores
ac feliciores, in quo non videtur vt hic possit esse alia
questio quam de mero nomine.

30. Sed quia hæc considerationes bonorum huius vi-
tæ ac beatitudinis sunt Theologicæ, veniamus ad alte-
rum, quæ per se huc spectat.

Circa quam etiam aduerto beatitudinem posse capi
pro perfectione aliqua acquisibili per iohannem homi-
nem cuiuscumque status ac conditionis sit; quamque
prudenter prætere posse, vel pro perfectione quam
non possunt omnes acquirere, aut rationabiliter præ-
tere, licet possint aliqui, & quidem prior conside-
ratio videtur principalior esse, & iuxta illud quod sup-
ponitur communiter, omnes debere rationabiliter ap-
petere sibi & procurare beatitudinem pro viribus, &
in hoc principaliorem eorum industriam versari debe-
re, quod etiam de beatitudine naturalis ordinis, quam
solum considerat scientia naturalis, qua talis præcise,
intelligitur.

*Rursus aduerto beatitudinem in vtroque sensu pos-
se capi vel pro supremo secundum speciem bono, quod
prætere possit rationabiliter, vel pro tali statu, qui mi-
nime malis vexantibus ac affligentibus sit iobnoxius &
hoc respectu siue ad eandem personam, siue ad diuer-
sas, vel pro statu, qui maiori voluptate gaudeat, abstra-
hendo à natura voluptatis seu delectationis, an scilicet
corporea sit vel spiritualis; & secundum has omnes
considerationes discurrendum erit de beatitudine vt
tollatur questio de nomine & res ipsa examinetur.*

CONCLUSIO

CONCLUSIO I.

31. In nullo sensu ex his felicitas collocanda est in solis diuitiis aut honoribus aut dignitatibus aut voluptatibus corporeis, nec in omnibus simul. Hæc est communissima & probatur de diuitiis quia eatenus sunt bona ac appetibilia, quatenus conducere possunt ad alia bona: ergo in aliis potius bonis constitui deberet felicitas, quam in ipsis.

Probatur de honoribus ac dignitatibus quia flagitiosissimi possunt eos habere & consequenter esse felices, quo nihil absurdius; deinde honores, magni præsertim, in quibus solis collocanda esset felicitas, non possunt ab omnibus prætendi rationabiliter, & idem est de dignitatibus: ergo non potest felicitas cuilibet competens in illis statui. Rursus secundum speciem sunt sine dubio inferiores virtutibus & etiam sanitate corporis, unde nemo est qui non mallet esse sanus sine illis, quam cum illis valde infirmus. Deinde ex se non excludunt molestias interiores tam bene, quam sanitas & habitus virtutum, ut est evidens; nec voluptas ex iis præcise concepta potest accedere ad alias voluptates. Ergo in nullo sensu ex prædictis potest consistere in ipsis felicitas naturalis; de qua agimus.

Probatur de voluptatibus corporeis, quia hæc competunt homini quatenus sensitiuus est, ut sic autem homo est imperfectior se ipso, quatenus rationalis est; nihil autem absurdius quam felicitatem hominis consistere in perfectione ipsius quoad potentias imperfectiores ac inferiores ipsius. Præterea si ordinate capiuntur, non sunt comparandæ voluptatibus seu delectationibus spiritualibus perceptis ex operationibus spiritualibus intellectus ac voluntatis; nec tam excludunt perturbationes internas passionum; & idem est de illis si inordinate indulgeatur ipsis; & præterea ut sic non sunt rationabiliter appetibiles & causant innumera mala. Probatur de omnibus simul quia flagitiosissimo possent competere, nec sunt conferenda cum habitibus virtuosorumque operationibus.

CONCLUSIO. II.

32. Supremæ beatitudo ac felicitas naturalis, quam secundum rationem naturalem potest quilibet appetere & conari sibi adipisci, cuiusque adeptio est in ipsiusmet potestate, quantum ad id quod naturaliter possumus cognoscere; consistit in illa perfectione qua fit ut quis contentus sit suo statu, sic ut si non possit secundum rectam rationem depellere mala præsentia aut imminencia, aut acquirere bona ulteriora, alias optabilia; velit eo statu contentus esse, nec aliquid operari contra rectam rationem ad eum mutandum, Hæc conclusio, quamvis hoc modo non soleat proponi, est tamen conformis eorum principiis, qui felicitatem in virtute collocant, quæ est communis iam sententia, & semper fuit inter meliores Philosophos communior.

Probatur autem abunde, quia hæc perfectio est communis omni statui hominum cuiuscumque sexus & ætatis ratione compotis quantum ad hoc, quod sit in potestate cuiuscumque (quantum possumus saltem colligere ex ratione naturali, quo sensu loquor) & quod nullus sit, qui non possit ipsam rationabiliter appetere & aspirare ad eius consecutionem; nec vlla alia magis conducit ad honoratam animi quietem; superandas omnis generis passiones inordinatas, ac ferendas æquanimiter omnes aduersitates, quibus vita humana expolita est, ut apparet evidens, fertque secum maximam ac ordinatissimam voluptatem, quando integre acquiritur; & maiorem vel minorem iuxta gradum in eo acquisitum; & denique ex se non inclinat nec inducit ad vllum actum inordinatum; nec vllus talis requiritur ad eius consecutionem. Sed nulla alia perfectio potest assignari, in qua potius aut æque felicitas competitibilis omnis conditionis hominibus collocari deberet: ergo.

33. Dices, posset quis statim absque magno labore etiã

in adolescentia acquirere hanc perfectionem; & id etiam non videretur difficile homini non afflicto actualiter malis valde molestantibus & competentibus bonis corporeis gaudenti: sed non est verisimile quod felicitas possit tam facile ac cito acquiri: ergo felicitas in ea non consistit.

Respondetur primo, negando minorem, quia quamvis non possit tam facile ac cito à quocumque acquiri; tamen quod ab aliquibus propter circumstantias particulares possit, non est inconueniens.

Respondetur secundo, conclusionem posse intelligi non de quacumque perfectione, qua quis actu velit suo statu præsentem contentus esse; sed de ea qua velit contentus esse quocumque statu in quo esset; siue afficeretur malis vexatibus, aut careret bonis optabilibus, siue non; & in hoc sensu si intelligeretur, negari deberet maior replicæ, quia reuera non est facile ad eam peruenire in aduersitatis statu, nisi antea fuerit procurata, & qui in statu prosperitatis putaret se eam habere, facile posset decipi, ut ex modo, quo se gereret in aduersitate, colligi posset.

Dices secundo, Magis appetibile esset, etiam secundum rectam rationem, habere huiusmodi perfectionem simul cum aliis bonis corporis, & carentia malorum affligentium, quam sine illis bonis & cum talibus malis: ergo illa perfectio sola non est suprema felicitas hominis.

Respondetur, quidquid sit de antecedenti, de quo dubitari posset, quia carentia malorum, & simulium bonorum possessio, posset esse occasio hic & nunc saltem aliquibus, decidendi ab illa perfectione; quando autem ita esset, magis appetibilis secundam rationem esset perfectio cum malis & sine bonis, quam sine malis & cum bonis; sed quidquid sit de hoc, distingo consequens: non est suprema felicitas, quam solam omnes omnino possunt appetere & procurare, concedo consequentiã; quam quilibet omnes conditionis possit appetere: nego consequentiã, quia quilibet non potest appetere efficaciter in omni casu bona temporalia, & carentiam malorum: nam aliquando contingit, ut aliquis sit in statu, in quo non possit rationabiliter ea procurare, ut cum est cæcus; aut claudus, aut senex, aut oppressus infirmitatibus incurabilibus, & mille similibus occasionibus.

34. Dices tertio, posset quis pro aliquo tempore habere huiusmodi perfectionem, & postea ab ea decidere & esse miser: sed contra rationem felicitatis est huiusmodi casus: ergo felicitas in ea non consistit.

Respondetur, in hac replica inuolui aliquid de nomine nam potest sine dubio felicitas capi pro huiusmodi perfectione cum perseverantia in ea usque in finem, & pro ea secundum se, abstrahendo à tali perseverantia, & considerata solum pro tempore quo perseverat. Si autem capiatur priori modo, concessa maiori & minori, distinguendum est consequens: in ea, abstrahendo ab illa perseverantia, concedo consequentiã; inuoluendo ipsam, nego consequentiã, & dico conclusionem intelligi debere supposita hac acceptione felicitatis de illa perfectione perseverante usque in finem.

Si vero capiatur secundo modo neganda est minor; nam de ratione ipsius est tantum facere felicem quamdiu est; & non est inconueniens quod quis sit felix pro aliquo tempore, & postea miser, sicut potest quis esse miser pro aliquo tempore, & postea felix, in quo non potest esse difficultas alia, nisi de nomine.

CONCLUSIO. III.

35. Nihil acquisibile per ipsum hominem & dependens ab ipsius solius diligentia magis conducit ad hanc perfectionem acquirendam ac ad perseverandum in ea, quam habitus virtutum eadem exercitio acquisiti. Unde si felicitas in actu primo capitur pro illa perfectione, qua dependet ab ipsomet homine, & habet vim inclinativam voluntas ad habendum huiusmodi voluntatem ac perseverandum in ea, collocanda erit in habitibus acquisitis virtutum. Hæc etiam est conformis communissimæ sententiæ collocanti felicitatem in virtutibus.

Probatur prima pars quia certum est habitus virtutum habere vim inclinativam ad illum actum, quo quis velit

D d sua

sua forte esse contentus modo prædicto, & ad temperandas, vel extinguendas passiones, quibus à tali volitione retrahimur; nec aliud bonum viribus nostris acquisibile, & à nobis solis dependens assignari potest, quod magis ad hoc, aut æque conducatur; Hoc autem supposito secunda pars patet ex terminis.

Dices, æque posset quis iudici ad huiusmodi actum si donaretur bonis cōpetentibus, liberaretur malis affligentibus & impediretur per considerationes bonas ab aliorum bonorum ambitione: ergo felicitas non est potius constituenda in habitibus virtutum, quam in hoc.

Respondeo primo, distinguendo consequens: felicitas dependens ab ipso solo homine, nego consequentiam; quia donari talibus bonis, & liberari à malis non est dependens ab ipsismet hominibus, nam quamvis adhiberent summam diligentiam, posset fieri quod grauerentur malis, & non consequerentur bona huiusmodi; felicitas alia aliqua, transeat consequentia, quia de illa non agimus.

Respondeo secundo, negando suppositum antecedentis, hoc est quod quilibet soleat donari talibus bonis & liberari à malis; & quamvis aliquibus illa fors contingat, tamē loquimur hic de felicitate, quā omnis generis ac status homines possunt prætereire; vnde distingui potest consequens; felicitas aliquorū hominū transeat, omnium cuiuscumque status, nego consequentiam.

Respondeo tertio, nullas considerationes aut possessionem vllorum bonorum ac carentiam malorum posse æque continere hominem ab inordinata ambitione aliorum bonorum ac habitus virtutum.

CONCLUSIO. IV.

Quis esset
felicius in
hac vita
felicitate
naturali.

36. Felicius est status eius qui cum prædicta perfectione habet alia bona ordinate desiderabilia, & caret malis, ad quæ arcenda posset ordinate applicare media opportuna, si id esset in sua potestate, quàm qui sola illa perfectione gauderet; & quo plura talia bona haberet, & malis careret, eo adhuc felicius esset, non tamen felicitate à seipso totaliter dependente. Hæc debet esse meo iudicio communis & iuxta Philosophum primo Moralium contra Stoicos & plures alios, qui alia bona non putabant spectare vllō modo ad felicitatem, nec mala obesse.

*Probat*ur autem, quia alia bona ordinate volubilia, aut quatenus delectabilia, aut quatenus vtilia, aut quatenus spectantia ad integritatem naturæ humanæ sunt perfectiones conuenientes homini: ergo reddunt ipsum feliciorem quam esset sine illis, deinde dolores & cruciatus per se non sunt bona, sed mala saltem physica: ergo felicius est, illis carere quam affici, si secundum se præcise spectentur, quod si hic & nunc essent media ad perfectionem vllam desiderabilem, ac necessariam, aut magis appetibilem quàm est earum carentia, tum earum carentia non esset ordinate appetibilis.

Adde nullum prorsus esse fundamentum oppositæ sententiæ, quod vel speciem probabilitatis habet.

Dixi autem in conclusione: non tamen felicitate à se ipso totaliter dependente, quia non est in manu hominis illa habere cum vult, etiam adhibita quacumque industria; sed pendet eorum consecutio ab aliis causis, vt patet de honoribus, dignitatibus, diuitiis, valetudine, integritate membrorum, nobilitate, bono ingenio ac indole, & similibus.

CONCLUSIO V.

In quo sensu felicius est habere alia bona quam virtutes.

37. Loquendo de felicitate naturali, prout absrahit ab ordine seu respectu ad vitam futuram & etiam a dependentia quam habet à nostra potestate, maior felicitas est eius, qui bonis ordinate desiderabilibus tam corporis quam fortune, absque malis valde affligentibus gaudet, quàm qui virtutibus quibuscumque ordinarie acquisibilibus gaudet & vexatur malis valde affligentibus vt infirmitatibus gravibus, toruoris fame maxima, aut siti, ac similibus, considerato eo tempore quo durant vtræque. Hæc est contra eosdem Stoicos & patet quia, vtrumque per virtutes animum compositum ha-

buerit, non potest fieri quin grauissime sentiat illa mala, aliàs talia non essent; nec esset tam insignis virtus, qua fieret vt quis patienter ea ferat: nec, vt supponitur, absque illis virtutibus cum bonis aliis, & absque malis affligentibus huiusmodi, quis tam grauiter affligitur: ergo huius status pro illo tempore, quo durat, est optabilior etiam secundum rectam rationem, quàm illius, apparet enim euidenter ex terminis quod melius est carere malis talibus secundum se consideratis, quàm iis affici; nec est probabile quod voluptas orta ex virtutibus, dum sint præsentia talia mala, sit maior quam ipsius, qui talibus malis caret & habet alia bona delectabilia, quidquid dicant speciose magis, quam vere Stoici.

Dixi autem: quod melius est carere talibus malis secundum se consideratis quàm iis affici, quia si considerarentur illa mala, vt essent media ad confirmandum hominem in virtute, ex quo fieret, vt pro alio tempore quis liberaretur illis malis; & absque illis vel alia bona acquirere, vel sola voluptate virtutis gauderet, tum esset melius iis pro tempore affici, quàm non affici: sed hoc non esset respectiue ad illud tempus, quo afficeretur malis, sed ad aliud tempus quo non afficeretur illis.

Quod si etiam habituatus virtutibus pro patuo tantum tempore deberet gaudere bono virtutis aut solo aut simul cum aliis bonis, & pro longissimo tempore afficeretur malis, profecto melius esset ipsi per totum illud tempus gaudere aliis bonis dictis sine virtutibus, & malis.

38. Vnde infero statum cuiuscumque hominis, etiam plebei, gaudentis per integram vitam bonis dictis absque malis affligentibus, aut aliis perturbationibus internis valde cruciantibus, feliciorem esse statu Philosophi instructi quibuscumque virtutibus ordinarie acquisibilibus, & afflictis dictis malis, per integram, aut maiorem partem vitæ.

Infero secundo quod cum quis ordinate posset depellere mala præsentia aut imminencia, aut acquirere bona, imprudenter eum facere, si id omittat, etiam si intenderet obfirmare se contra mala, quæ possent accidere & non possent impediri; quia fatius esset, naturaliter loquendo & sine respectu ad vitam æternam, mala præsentia depellere & bonis ordinate gaudere, quàm cum tanto detrimento præparare se ad mala, quæ fortassis nunquam acciderent, & id quæ ferenda cum acciderent, posset se præparare æque ac tum faceret cum nollet præsentia mala auertere.

Et hæc de felicitate ac beatitudine, quatenus ratione naturali considerabilis est, absque ordine ad futuram vitam sufficiant, cuius consideratio Christianis creditur vitam æternam parare debet esse vtilitatis, quia huius vitæ felicitatem collocare debent in iis rebus potissimum, quibus acquiritur vita æterna, vt in operibus bonis factis ex gratia, quibus eandem vitam promeremur.



DISPUTATIO II.

DE ACTIBVS HVMANIS VT SIC.



V I A nihil dependens à nostra cooperatione magis conducit ad felicitatem siue naturalem huius vitæ, siue supernaturalem alterius consequendam, quàm actus boni, & nihil eius consecutionem magis impedit quàm actus mali, ad hanc scientiam spectat sine dubio agere de his actibus; sed quia illi tam inter se quàm cum actibus in differentibus conueniunt in ratione actus humani, vt sic, ideo de iis secundum hanc rationem prius agemus, præmissis tamen aliquibus de ratione voluntarij, quæ cōuenit omnibus actibus humanis, & solet ab Authoribus considerari, & de inuoluntario ipsi opposito.

Q V Æ